Luiz Figueira e Francisco Pinto

Eadem arte usus feliciter fuerat ad Brasilos ab insitis vitiis et ferina vita revocandos P. Franciscus Pintus: eademque via speravit ad Christum adduci posse accolas Maranonii fluminis, cujus aquas flumen Amasonum excipit, in suprema Brasiliae, Boream versus, parte. Nondum ad eos Evangelii lux pervaserat. Hanc ut ipsis inferret, socium P. Ludovicum Figheiram, et Christianos aliquot Brasilos ignoti ac periculosi duces itineris adhibet, qui non solum commonstrarent viam sylvis obsitam, montibus abruptam, fluviis intercisam; verum etiam qui populares suos conciliarent Patribus, et Evangelio praepararent. Profectus anno MDCVII, annum fere integrum in itineris molestissimi aerumnis consumpsit, non sine singulari tamen solatio, quippe doctrinae salutaris sementem ubique spargens, et miseram erudiens plebem, quae Christianis olim imbuta praeceptis, modo vitiis et erroribus silvescebat, colentium penuria. Ut ad Maranonios pertingeret transeundum erat per fines immanissimae gentis, cujus complures pagos Lusitani paulo ante vastaverant, edita ingenti hominum strage. Haurebat adhuc infixa in efferatis animis cupiditas ultionis, et oblatam explendae cupiditatis facultatem conspecto Patre putaverunt. Brasilos ab eo cum muneribus missos retinent, abtruncant, et genialibus destinant epulis, in quibus nullam humana carne ferculum suavius novant. Necita multo post facto agmine ululantes de proximis montium culminibus praecipitant, et sagittarum imbrem effundunt in

Christianos Patris comites. Illi orare pacem magnis vocibus, obtestari ne se hostium ducerent loco, populares suos agnoscerent, ac Sacerdotem innoxium divinae legis praeconem. Barbari vocibus inconditis tumultuantes respondent nullum sibi foedus unquam cum Lusitanis fore. Prodit Pintus vultu ad modestiam, sermone ad mitigandos furentium animos composito. Dicentem invadunt, unumque de ipsius comitibus Brasilum, validius obnitentem ut eum sceleratis manibus subduceret, impacta capiti clava sternunt. Ceteri nequáquam resistendo pares, alius alio diffugiunt. At phalanx impia in unum irruens Pintum, vectibus ligneis comminuit caput, corpus exanimum spoliat, tugurium sacellumque diripit: cadaveri, praeter morem, pepercit. Aberat tunc forte P. Ludovicus Figheira. E vicino reversus nemore, cum jam barbari tristibus onusti spoliis abiissent, sodali carissimo justa persolvit, et rigida membra multo conspersa sanguine, inter mistas fletu preces terrae mandavit. P. Franciscus Pintus Lusitanus erat, natus Angrae, quae civitas est insulae Tertiae. In Societatem acceptus pridie Calendas Novembris anni MDLXVIII, totos triginta annos in Brasilis erudiendis collocarat.

Magno pectori angusta erat Brasilia, in Americae provincias interiores, et longius a mari disjunctas quater aut quinquies exspatiatus uberrimos prudentiae, pietatis, ac patientiae fructus ubique collegerat: iis cumulum beata mors addidit.

(Epitome Historiæ Societ. Jesu, auctore Joseph Juvencio).